



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 62. Decretum de Professione fidei a Papa emittenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.  
A. C. 1417.

§. LXII.

*Decretum de Professione fidei a Papa  
emittenda.*

*Ibid. p. 241.* Tertium Decretum continet formam professionis fidei, quam quilibet deinceps in Romanum Pontificem eligendus, antequam ejus electio promulgaretur, coram suis Electoribus emittere teneretur. En formam illius a Synodo præscriptam: *In Nomine sanctæ & individue Trinitatis, Anno N. mense N. Ego N. omnipotenti Deo, cujus Ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & B. Petro Apostolo corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere & tenere fidem Catholicam, secundum traditiones Apostolorum, generalium Conciliorum, & aliorum sanctorum Patrum maxime autem S. octo Conciliorum universalium, & illam fidem usque ad unum apicem, immutilatam servare & usque ad animam & sanguinem confirmare, defensare, & prædicare, ritum quoque Sacramentorum Ecclesie Catholice traditum omnimode profsequi, & observare.* Nec silentio prætereundum censeo, quod Synodus in hac formula nominatim octo illa Concilia generalia enumeraverit, videlicet, primum Nicænum, secundum Constantinopolitanum, tertium Ephesinum, quartum Chalcedonense, quintum & sextum Constantinopo-

tinopolitanum, septimum item Nicaenum, Sæcul. XV.  
 octavum quoque Constantinopolitanum, A. C. 1417.  
 præter alia Concilia œcumenica, Lateranense, Lugdunense & Viennense.

§. LXIII.

*Decretum de translationibus.*

Quartum decretum disponit de translationibus Beneficiorum, *Cum ex Prælatorum translationibus, verba sunt Concilii, Ecclesiæ ipsæ plerumque gravibus in spiritualibus & temporalibus subiaceant dispendiis, Prælati quoque nonnunquam jura & libertates Ecclesiarum suarum translationis formidine non adeo solerter prosequantur, ne ad importunitatem quorundam, sua & non quæ Jesu Christi quærentium, Romanus Pontifex forsitan ut homo facti nescius, in hujusmodi circumveniatur, aut alias leviter inclinetur, statuimus, & ordinamus ejusmodi translationes absque magna & rationabili causa, quæ vocata parte cognita fuerit, & decisa de consilio Cardinalium vel majoris partis eorundem & cum subscriptione de cætero fieri non debere.* *Ibid. p. 241.*

§. LXIV.

*Decretum de spoliis Episcoporum, & procurationibus.*

Quintum Decretum concernit spolia Episcoporum, seu beneficiorum vacantium, *Ibid. p. 242.*